Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Peter Vietz

VERA || NOBILITAS.|| OPVSCVLVM RECENS || NATVM.|| AVTORE || PETRO VINCEN=||TIO VRATIS=||LAVIENSE.||

Rostock: Dietz, Ludwig, 1553

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895577208

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

MK
1365 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895577208/phys_0001

J.A.B.H.7.

~~LXIII. 4.~~

64. 6.

1225.

Etwa zwei und um fünf drei Blätter in MS

4°

Mk_1365 1.2

~~Mk_1548 1.2~~

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn895577208/phys_0003

MK-1365 1.2

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895577208/phys_0005

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895577208/phys_0013

S. Clarissimo utro et uirtute prestanti D. Petro Vincētio gubernanti studia doctrinæ in Inclyta urbe Lubeca fratri suo Carissimo.

S. D. Cariss. Frater. Egone de silentio tuo queri possim? Cum uiderim me multo ante in illo tuo carmine duraturo, tam amanter ornatum esse, tametsi scio me ab his laudibus procul abesse, & agnosco me esse miserum ἐυλεωμα ut sese Paulus quoq; nominat, & quotidie oro filium Dei, ut me faciat, ὁ Χεῦ ἐλέους Sed tamen beneuolentia tua ualde delector, tibiq; gratiam debeo & habeo. De Lubeca tua publicorū studiorum causa lætor, talia edi, quia his exemplis & inuitatur iuuentus ad doctrinæ amorem, & erudituir, aliquorum etiam senum honestiorum alitur beneuolentia erga literas. Et tales Panegyrici continet multas historias, quarum consideratio & senes delectat, & utilis est Iuuentuti. Quare & consilium tuū & carmen & urbis picturam laudo, Cogitabo etiam

ut a me ἀντίδωρον habeas. Nunc mitto Valentino
editionem recentem locorum Theologicorum germanicã,
Nam plura exempla uehere equites non poterant, hanc
a te uelim inspici, ut iudice. Cum uiueret collega meus
σωροφόρος habebam & συμβάδονα & moni-
torem. Nunc cum multorum colloquia expetam
in controuersijs multis & intricatis, pene solus sum.
Sed oro filium Dei ut nos regat. Optarim tamen sape
tecum & cum alijs qui iudicare possunt deliberare.
Ὁμιλία inquit Euripides τέχνας ἔλεγε.
Plura cum scribere uellem, properantibus uestris nõ
potui adidere quæ precipue uolebam. Bene & foelicite
Vale. Anno 1553 die 25 Martij quo ante annos
5516 ut scribitur, conditi sunt Adam & Heeua.

Philippus Melanthon.

[Corpus Reform. VIII, Nr. 5353]

VERA NOBILITAS

OPVSCVLVM RECENS NATVM.

AVTORE PETRO VINCENTIO VRATISLAVIENSE.

Edita Rostochij in officina Ludouici Ditij.

M. D. LIII.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895577208/phys_0017

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895577208/phys_0018

ILLVSTRISS: ET INCLYTO HEROI, AC DOMINO D. Ioanni Alberto, Duci Megapolensi, ac finitimarum aliquot circa gentium Principi, D. suo perpetua fide colendiss. Petrus Vincentius Vratisl.

MEmini, Inclyte Princeps, Domine clementissime, ante biennium, cum Inclyta Celsitudo tua Lubecæ esset, me partim denunciatione meæ erga te obseruantiæ, & pietatis per Epistolam, partim exhibitione Comœdiæ Plautinæ celsitudini tuæ innotuisse. Quo quidem tempore cum Inclyta celsit: tua clementiæ ac liberalitatis erga me suæ singularis præbuisset dato amplissimo munere nequaquam obscuram significationem, ac animaduertissem studium & industriam qualemcumque meam tibi eruditissimo & optimo Principi non improbari, officij meï esse iudicaui, quod & tum promittebam, me facturum esse, & id intelligebam Celsit: tuæ non aduersum fore, ut propensionis, obseruantiæ, & gratitudinis meæ plenius q̃dam documentum à Musis profectum tibi aliquando exhiberem. Nam illa qualiscunq; aduentus tui illo tempore gratulatio, qua a literario nostro cœtu honoris causa excipiebare, etsi tibi Principi literarum intelligenti non iniucunda erat, tamen muneris tui amplitudini, quæ tibi ad perpetuam me obstrinxit gratitudinem, nequaquam par fuit. Hactenus uerò exortis subinde nouis in Romano imperio motibus, qui te quoq; cum alijs statibus pio, & patriæ necessario bello implicuerunt, aditus ad celsi-

tudinem tuam præclusus fuit Musis nostris, quæ iam tandem quasi gratulaturæ tuæ erga Ecclesiam, & patriam pietati coram te apparent adferentes libellum exiguum quidem, sed tamen non ingratum, ut confido, futurum Celsitudini tuæ, saltem argumenti nouitate & præstantia, cuius à me uix primas lineas ductas esse, quemadmodum facilè agnosco, ita ista qualicumq; umbra futuri operis, si retexendum erit, interim gratitudinem saltem meam Celsitudini tuæ generosissime Princeps aliqua parte probare uolui. Idq; me debere omni studio fatere præ me fero, non tantum propter priuatam erga me beneficentiam, quam expertus sum, sed etiam propter commemorabilia erga Rempub. & Ecclesiam merita, quibus, quemadmodum Themistocles dicebat se Miltiadæ trophæis ad bene merendum de Attica ciuitate extimulari, ità palàm ostendis, te maiorum tuorum exemplis nunquam satis laudatis ad honestissimos, & uiro Principe dignissimos conatus non solum bello defendendi Patriam libertatem, sed etiam Scholas publicas, & collapsas Ecclesias instaurandi diuinitus incitari. Cum autem multæ se remoræ opposituræ uideantur laudatissimis institutis tuis, nos saltem, quibus literarum propagatio in Scholis commissa est, & doctrinam Ecclesiæ, & alias arteis humano generi necessarias uera pietate colimus, decet tum in præsentia bene precari tuæ uirtuti, eamq; omni obseruantia colere, tum etiam ad posteritatem quantum quisq; possumus tuæ honestissimæ Voluntatis testes, ac præcones esse, pro ueteri Musarum, & Herculis fœdere, quo hic quidem ad illarum defensionem, hæ uerò ad illius perpetuam celebrationem mutuò sese obstrinxisse feruntur. Ac mei quidem in ea parte officij cupio Inclytæ Celsitudini tuæ huius opusculi dedicationem quasi arrhaboni esse.

Bene & fœliciter uale.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895577208/phys_0020

VERA NOBILITAS.

SI me, quale suo quondam concesserat Orphêi,
Calliope sineret ludere dulce melos
Non ego mulcerem syluas, non saxa, fretumue,
Non rigidas, ueluti fabula prisca, feras.
Sed studium, Phœbo Musisq; iuuantibus, acre
Aggrederer fructus uberioris opus.
Nam te, quæ claris maioribus orta iuuentus
Nomen honoratæ Nobilitatis habes.
Quam nitido possem modó carmine, quamq; diserto
Ad uerè optarim ducere laudis iter.
Quo famam, & titulos, & auitæ gentis honores
Legitimo posses iure tenere tuos.
Nec tam, quod monitis adeó uidearis egere,
Gestit in hoc campo ludere noster equus.
Nam quid opus fuerit, studijs cum ingentibus ornes
Et genus, & generis signa uetusta tui.

Sed me plectra ferire tuæ ſitis ardua laudis
Impulit, & patrij pectus honoris amans.
Atq; ut currentem ferrata calce caballum
Pungit Eques curſu, pergat ut ille, ſuo.
Aut uelut egregijs noua ſurgit pectore Virtus
Militibus, campo cum tuba rauca ſonat.
Sic tu ſponte licet properes per amœna Sororum
Compita, Parnaſſi qua iuga ſacra iacent,
Sponte licet magnis animos uirtutibus ornes,
Atq; atauos ſtudeas exuperare tuos:
Ipſa tamen uellem curſus dare ſigna ſecundi,
Phœbeoq; animos ære ciere tuos.
At mihi cum ualidæ non ſint in carmine uires,
Veſtiat & numeros gratia rara meos:
Noſtraq; protulerint præſtantes ſæcla Poëtas,
Grande quibus toto contigit orbe decus:
Idcircone nihil tenuis tentabit Apollo?
Et mea quæ riuo paupere uena fluit?

Dij melius: quis enim non magnum littus arantem
Protinus Agricolæ munus obire uetet?
Quis se diuinum contingere ſperet Homerum
Poſſe? tamen ſtimulus Vatibus ille fuit.
Is toga, cuius erat rigidis præſtantior armis
Tullius Orator maximus unus erat.
Secula poſt aliquot tamen & ſua gloria Bembis,
Salua Sadoletis, Longoliſſq; fuit.
Parta quibus totum celeberrima fama per orbem
Durat in æternos non moritura dies.
Talibus exemplis liceat ſine crimine tandem
Me quoq; uerſu aliquid deſipuiſſe nouo.
Dum modo quicquid habet, quamuis malé culta, camœ-
Germana facias dexteritate boni. (na,
Et mea ſemideûm princeps ſate ſanguine Regum
IANALBERTE tuo ſcripta fauore iu-
O ueteri Iapeto non inficianda propago, (ues.
O ſpes, ô ueterum famaq; flosq; patrum.

Non me ſcribendi paſſim inſanabile multos
Quod uexat grauiter iam cacöethes habet,
Sed ſtudio patriæ laudis, zeloq; tuendi
Germanæ proprium pubis ubiq; decus.
Carmine ſuccincto dicam, quæ ſcire refert, qui
Et famam, & titulos Nobilitatis habent.
Illis obtrectat uarij lingua improba Vulgi,
Nobile proſcindit turba profana decus,
Cum ſit nil uſquàm præclarius ordine tanto,
Veraq; nobilitas ſplendeat orta Deo,
Idq; ſit, ut planum primum memorabo, quod olim
Ad foculum pueris concinuere ſenes.
Poſt ubi idem iuſta breuiter ratione probáro
Nobilibus dicam facta gerenda uiris.
Cum nouus eſſet adhuc, ſed iam cum crimine, Mun-
Primæui ſoboles multa parentis erat. (dus,
Tum genus humanum, atq; humiles inuiſere terras
Poſt aliquot libuit tempora forte Deo.

Nempe ut degendæ præcepta ſalubria Vitæ
Mortali generi, ſanctaq; iura daret.
Ac pia luſtraret fidei fundamina ueræ,
Qua ſine, quicquid agas, diſplicet omne Deo.
Ergo Deus celſi ſublimia ſydera Cœli,
Rellinquensq; domus aurea tecta ſuæ,
AEtherei uenit comitatus cœtibus Orbis
Nuper ad extructas, ruſtica tecta, caſas.
Agmine ſtipatus flammanti, quale ſerenus
AEtherea ſpargit Phœbus ab arce iubar.
Iamq; ubi graminei ſub culmiuis oſtia uenit,
Nuper Adam manibus ſtruxerat illa ſuis
Sola domi teneros ſeruabat Mater alumnos
Patre foris rapidas forte ſequente feras.
Horruit aſpectu primo ſubtriſtis Adamis,
Neſcia tam ſubitó quæ noua pompa foret.
Lumina nec poterant radiantis flammea uultus
Ferre, fugit uiſo turba tenella Deo.

At reuocans illos Mater: mea pignora nati
State, Deus fausto numine noster adest
Inquit: at occultas petit altera turba latebras,
Cuius erat rigidus duxq3, comesq3 Caïn.
Altera sed constans, uultusq3 erecta modestos
Exhibuit placido sepia turba Deo,
Vt quamuis subito semper mens fida tumultu
Ante Deum tremulo tuta timore uacat.
Tunc sanctæ exposcens fidei documenta iubebat
Illos intrepidé commemorare Deus.
Articulos fidei reliquorum nomine iussus
Dicere Abel: tales edidit ore sonos
Credimus esse Deum, qui fecit ut omnia primùm,
Sic regit & seruat cuncta potente manu.
Condidit humanum genus immortale, suiq3
Exemplo uoluit uiuere & esse super.
Consortes iussit cœlestis imaginis esse,
O nos fœlices dum decus illud erat.

Namq; dolis postquàm Satanæ, assensuq; parentum,
Innato lapsi iam uicioq; sumus
Scis Deus: hæc quid enim mala nota referre necesse est?
Naturæ nimium semina quenq; sequi.
Hinc humana sumus morbis afflicta propago,
Conficimur curis, conficimurq; malis.
Vna tamen spes est, spes quæ nos recreat una,
Semine de sancto conditor alme tuo.
Conteret hoc Satanæ liuentia colla superbi,
Ereptum nobis restituetq; decus.
Efficiet uirtute sua, & bonitate Parentis,
Nos facer ut totos Spiritus alme regas.
Inde triumphantes deuicto fortiter hoste,
Nos tua cura erimus, deliciæq; Deus.
Nos morbis, curis, annis, non deniq; morte
Non aliquid, post quo conficiamur, erit.
Morbida tollentur diræ contagia Mortis,
Perq; pijs Christum Vita perennis erit.

Hunc aurora diem propera deducere cœlo,
Interea ſeruet nos tua cura Pater.
Hæc ubi dicta dedit, reuerenter poplite flexo
Turba Deo coràm cœtera dixit, Amén.
Tum Deus, ô Iuuenes ſpecimen laudabile ueſtrum eſt
Eſtis, aït, cœlo debita turba meo.
Conſpicit interea, quid enim non ille uideret?
Quod primæ à numero pars quota prolis abeſt.
Fallere ſe nemo cœleſtia lumina ſperet,
Lumina quæ ſemper condita quæq; uident.
Non latet ille oculos cernentes omnia, quanquàm
Se latebris tutum crederet eſſe, Caïn.
Hunc prodire iubent Materq;, Deusq;, ſed ipſum
Cernere præſentis iam pudet ora Dei.
Prodit inornatos fœno impediente capillos,
Stantibus impexis, & ſine lege comis.
Mox iuſſus fidei rudimenta retexere, dicit,
Qualia Roma tuus Papa docere ſolet.

Esse Deum potui uix credere, Vita perennis
Vlla sit, an non, post ultima fata sciam.
More tamen patrio pingues adolemus ad aras,
Munera si forsan postulet illa Deus.
Postquàm audita Deo est titubantis opinio linguæ
Impia: ait, ueré est Rusticus iste Caïn.
Vos ueró, Setho cum fratre appellat Abelum,
Insignes facio nobilitate uiros.
Et quia de uestro nascetur serior ætas
Sanguine constituo Nobilitatis auos.
Natorum hinc nati, & qui post nascentur ab illis
In reliquos à me tradita sceptra gerant.
Subdita rusticitas sit cultæ Nobilitati,
Donec erunt cœli lucida signa mei.
Sic ait, & cingit uiridanti tempora lauro
Fratribus, ac frondis signat honore nouæ.
Altera, qua nunquàm nata est fœlicior arbos,
Vatibus hinc mos est talia serta dari

Auri ignorabant fœlicia ſecula luxum,
Sanctaq; ſimplicitas tunc in honore fuit.
Et nondum magnæ crudeli uiſcera matris
Ingreſſus ferro foſſor auarus erat.
Plurima prætereà peragenda ſalubria Vitæ
Præcepta & leges datq;, iubetq; Deus.
Tumq; ſalutatis poſt oſcula mutua cunctis
Adſcendit ſuperæ limina ſancta domus.
Viſæ ſunt toto nubes diſcedere cœlo,
Poſtq; Dei tergum facta ſerena dies.
Eruta de priſcis annalibus iſta Poetæ
Longæuos recitant commemoraſſe ſenes.
Quæ ſeu uera legas, pietas ſeu finxerit, ut ſit,
Carmine non fuerant prætereunda meo.
Credibile eſt certè præſentem ſæpe loquutum
His, quos ipſe recens finxerat, eſſe Deum.
Inſtar & hic teſtis cenſeri annoſa uetuſtas,
Ac ſolet antiquis rebus ineſſe fides.

Si tamen & quæ ſit ſententia forte requiris
Noſtra, potes uerſu certior eſſe breui.
Cum ſapiente Deus Mundum ratione gubernet,
Omnia confuſum nec uelit eſſe chaos.
Ordinis humanis inſeuit mentibus olim
Notitias, animi iudiciumq; ſui.
Hinc leges, arteis, hinc uirtus, præmia, pœnæ,
Ordine quæq; ſuo conuenienter eunt.
Et quia diſparibus ſtudijs contenditur: iſthæc
Viſa eſt diſparibus gloria digna notis.
Hinc quos ingenij donis cumulauerat, aut quos
Virtute inſignes fecerat eſſe Deus:
Scilicet ut regerent incertum legibus Orbem
Et rudibus populis iura ſacrata darent,
Hos uoluit titulis etiam ſplendeſcere claris,
Et noua Virtutis nomina ferre nouæ.
Quin & imaginibus decorari inſignibus ipſos,
Et decoris celebres iuſſit habere notas.

Forté quod irritant uirtutem præmia ueram,
Et tacitos ſtimulos gloria talis habet.
Ex his Scutiferæ quæ Nobilitatis origo,
Quod ſit principium, quæ uia, ſcire licet.
Ordo huius generis fundamine ſplendet honeſto,
Autoremq; Deum nobilitatis habet.
I nunc, atq; audi malé docti opprobria Vulgi,
Talia quod ſtolido iudicat arbitrio.
Quodq; bonos mores propter leuitatis abuſum
Tollendos nulla cum ratione putat.
Non in abutentis uitio præſtantia rerum,
Ritè ſed utentis ~~permetienda~~ mente probanda uenit.
Nam malé quod multi titulis utuntur honeſtis
Quid tum? de uera Nobilitate loquor.
Hæc eſt orta Deo, inſignis Virtute perenni
Poſſidet hæc titulós non ſine laude ſuos.
Altera Nobilitas quæ nomina inania iactat,
Orta rudis uenit poſteritate Cain.

Nescia diuini cultus, & nescia Verbi,
Ausaq; sæpé ipsi dicere probra Deo.
Non studiosa boni, non ueræ laudis honore
Culta, sed ad fraudes ingeniosa malas.
Dura, superba, ferox, ignaua, dolosa, leuisq;,
Rapta tenens, excors, mollis, auara, bibax.
Deniq; doctiloquis semper malè fida Deabus,
Quas fouet Aonij montis amica quies.
Et tamen ô flendum facinus, facinusq; dolendum,
Hæc quoq; nunc titulos Nobilitatis habet.
Cuius ad infernas locus est, sedesq;, paludes,
Cui genetrix Nox est, est Erebusq; pater.
Sed quæ sit ueræ uia Nobilitatis ad arcem,
Tertia propositi pars fuit illa mei.
Subijce Musa mihi non ficta mente monenti,
Nobile quæ deceant, dedeceantúe genus.
Virtutes memora, superant quibus æthera celsum
Heroes, fama non moriente, Viri.

C

Heroes quos ille ſenex, genus eſſe Deorum,
Contulit agnomen cui uetus Aſcra, canit.
Meonides magni Iouis illos laudat alumnos,
Hoc VIRTVS, ipſos quæ decet, eſſe facit.
Qua duce tranſcendunt conuexi ſydera cœli,
Qua Duce per titulos Nobilitatis eunt.
Ipſorum nomen miratur & ultima Thule,
Perpetuoq; uiget neſcia fama mori.
Excitat hic ſi quem tantarum gloria rerum,
Quid faciat poterit carmine ſcire meo.
Prima Dei ſemper non ficta mente colendi
Cura ſit, & ſacræ relligionis amor.
Pectore deuoto numen cœleſte uereri,
Præcipuum eſt ueræ Nobilitatis opus.
Namq; Dei cura, pietate, fideue relicta,
Omnia ſucceſſu cætera deinde carent.
Omnia dein fœdo labuntur cœtera caſu,
Virtus, fama, decus, gloria, Vita, ſalus.
Inſpice de rerum quicquid ſcriptoribus extat,
Me uera inuenies hæc monuiſſe fide.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895577208/phys_0034

Interijt triſti fato Mezentius acer,
Riſerat ille homines, riſerat ille Deos.
Heu quam turpis erat, quamuis Rex maximus eſſes,
Exitus é Vita Sardanapale tibi.
Neúe quis euentus nullo fundamine fictos
Adferri é uana gentilitate putes.
Fata tibi ante oculos Regis triſtiſsima Saulis
Ponito, cui quæ non ſors ſatis æqua fuit?
Poſtquàm iuſſa tamen cœleſtia negligit audax,
Heu quantis preſſus uixit & ille malis?
Donec ad extremum, uictore repulſus ab hoſte,
Turpiter horrenda ſe necat ipſe manu.
Perfidus Herodes qui lendibus eſca putreſcens
Occidit, & Caligæ nomen habenſq; gulæ.
Et Neró, quæq; alibi memorat portenta uetuſtas,
Nobilibuſne putas annumeranda uiris?
Fœda exempla ſatis, nimium ne priſca requiras,
Decurſus Vitæ quotidianus habet.
Quiſquis es ergó Deum uera pietate uerere,
Si laudem ueræ Nobilitatis amas.

Ille tuis famam semper Virtutibus addet,
Ne careas laudis fructibus ille dabit.
Vt tandem optato potiaris honore, decusq;
Emeritum clarus secula mille feras.
Proxima sit Virtus didicisse fideliter artes,
Sed bona quæ uitæ semper honesta ferant.
His homo sæpê nouus sibi Nobilitatis honorem
Contulit, & generi signa uetusta nouo.
His Plato, Aristoteles, & Romæ gloria Marcus,
Nominis æternos promeruere dies
Phœbæa Celtes Lauri defronde Coronam
Germano Vates primus in orbe tulit
Austriacæ uerum decus & laus Velius aulæ
Interijt studijs nobilis ante diem.
Maluit HVttenus calamo olim fortis & ense
Insigni Francus stemmate natus Eques,
Nobilibus Proauis ab utroq; Parente creatus,
Nomine doctrinæ nobiliore frui.
Et quoniam exemplis cœpi nostratibus uti,
Fallor? an antiquis fortius ista mouent.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895577208/phys_0036

Inter honoratos ſtudijs Capniona trilinguem
Ponendum primo quis neget eſſe loco?
Græcia trans Alphes quo deductore uolauit,
Quo linguæ Hebrææ uindice manſit honos.
Laude pari uiuit ſic nobilitatus ERASMVS:
Tempora ſic famæ longa LVTHerus habet.
Vindice qui calamo pariter pugnante PHILIPPO
Veræ inſtaurauit Relligionis opus.
Bellatrix linguas Germania tractat, & arteis,
Nunc etiam ductu clare PHILIPPE tuo.
Orbe cui toto cum Muſis iudice lis eſt,
Maius ab his capias, his tribuaſue decus?
Fœlices animas, quibus ampli regia cœli
Munera tam multa laude probata dedit.
Quid memorem Clarij ſummum decus ordinis HES
Pierio cultum Regis honore choro? (SVM,
GermanumGraijs ornans CAMERARIVS
Literulis, culmen Nobilitatis habet. (Orbem
STVRMIVS Aonij meritiſſima gloria cœtus
Claret in Eois occiduiſq; plagis.

STVRMIVS orator græcus pariterq; Latinus
Omne suo punctum qui tulit ingenio
Et, uelut hyberna multus niue liquitur humor
Cum Phryxæa premunt uellera Solis Equi
Sic quoties oris calamiue resoluit habenas
Eloquij fundit flumina larga sui.
Præcipuè, cuius uolat aliger usq;, SABINVM,
Pegasus ætherei summa sub astra Poli
Itala miratur tellus, miratur Apollo,
Tanta quod est Elegis huius ubiq; Venus.
Arte laborati uersus, curaq; politi
Miranda Venæ limpiditate fluunt.
Hac mulcere nouem quoties uult carmine diuas
Trina Charis, teneras abluit ipsa manus.
STIGELIO Cæsar scuti galeæq; decorum
Contulit, & Vati nomen Equestre dedit.
De quo si posito liceat, quod sentio, fuco
Nullius inuidia me remorante, loqui.
Huic uiuos inter debetur palma poetas
Natiua ingenij de grauitate pij.

Cætera post obitum extincto luore loquetur
AEqua mente putans omnia posteritas.
Iam quoq; cui nectunt noua serta Heliconis alumnæ,
Non iuuenis procul hinc ingeniosus abest.
Ille nouem ductas ad Balthica stagna Sorores
Semina doctrinæ spargere culta facit.
Et pietatis opus docta simul arte professus,
Relligione Deas non sinit esse rudes.
Cuius in hoc ueritus sum ponere carmine nomen,
Auribus id socij ne tribuisse puter.
Blandus adulantum mos hinc ad nigra faceſſat
Tartara, sed uerum dicere cogit amor.
Pirithoo non sic fauit Pittheïa proles,
Non ità Damoni dulcis amicus erat.
Vt mihi diligitur, cui FVSA nomen ab OLLA
Clarescit Musas inter ubiq; pias.
Vberior laudis iam lœta messis in herba
Paulatim plena falce secanda uenit.
Sic decus, & famam studijs quæsisse probandis,
Est solidus ueræ Nobilitatis honos.

Secula nec ſolum donant præſentia Muſæ,
Monſtrari ut digito non ſine laude queas.
Secula dant doctæ uentura colentibus arteis,
Hinc trahitur ſeræ poſteritatis honos
Eſt tamen in Sophiæ ſtudijs, & in artibus amplis,
Quemlibet in primis quod monuiſſe uelim.
Ne quem delectet uæſana Sophiſtica, qua nil
Peius, deterius, turpius orbis habet.
Sit candor, nec ſit præſentibus abſona uerbis
Mens tua, ſit ueri cura, laborq; tibi.
Vtq; Erebi portas, ſic deteſteris & illum,
A cuius diſcors pectore lingua ſonat.
Quales ſunt hodië Satanæ impia turba Sophiſtæ,
Turba parum fauſto carmine digna cani.
Tertia de Patria Virtus benè uelle mereri eſt,
Non minus hæc, ſi ſit feruida, laudis habet.
Nobis ſaluifici patria eſt Eccleſia Chriſti,
Aſſerit hanc quiſquis, fortiter ille facit.
Illa quidem Chriſti ſemel eſt aſſerta triumphis,
Ac ſuperi expectat libera regna Poli.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895577208/phys_0040

In Vita tamen hac ſæuis uexata Tyrannis,
Implorat uerę Nobilitatis opem.
Hinc rabies Getici graſſatur dira Latronis,
Illinc Romuleus cæde doloq; Lupus.
O decus, ardor, honos, patriæ ô ſpes unica gentis
O flos, ô ueterum digna propago patrum:
Surge age, & igniuomos primum compeſce ſtolatos,
Excoria, uexa, confice, cæde, neca.
Poſteà uictrici dextra Germana Iuuentus
In Mahometigenas irrue prona Getas.
Immortalis erit tibi tanti gloria facti
Sic demûm uerè Nobilis eſſe potes.
Nam tibi quid proſunt tituli, quid inania proſunt
Nomina? ſi ſolum hoc Nobilitatis habes.
Nitendum Virtute magis, quàm ſanguine Vlyſſes,
Nec ſua, quæ nunq; fecerit, eſſe putat.
Ducat in exemplum, quod nunq; animoſa uetuſtas
Iactarit Titulos ſic ſine laude ſuos.

D

Inſpice Scipiadas uere uirtutis alumnos,
Inſpice & Arminij facta q̃s, reſq̃s tui.
Immenſo quondam qui ueræ laudis amore
Pugnabant pro aris fortiter atq̃ focis.
Illis inſtabat quamuis fugientibus ultró
Gloria, quæ maior ſæpe neglecta uenit.
Hinc ſua perpetuó claris ſtat gratia factis,
Quàm ſecli ueteris promeruere Viri.
Amphytrioniades NEleïa ſecula uiuet,
Et Theſei laudes ſtant ſine labe ſuæ.
Sic ſua Miltiadæ, ſic fama Themiſtoclis ævi
Permanet æterno non minuenda die.
Sic uiuunt Fabij, Decij, forteſq̃ Camilli,
Immenſo Virtus quos uetat orbe mori.
Scilicet ob patriæ pugnando pericula paſſi
Mœnia, fecerunt nomina clara ſibi.
O eſſent utinam quoq̃ relligionis adepti
Doctrinam, ueri noticiam q̃s Dei
Electi certè cœtus pia membra uocari
Optaſſent ſecli lumina tanta ſui.

Hæc Vrbs, hæc illis ſemper patria una fuiſſet,
Hæc Martis ſemper materia, ardor, opus.
Ergo quod ex omni fuerint non parte beati,
Lux hæc doctrinæ defuit una uiris.
Fœlix Iſacides, & terq; quaterq; beatus,
Cui pars non ſummi defuit ulla boni.
Namq; Dei uera ſeſe agnitione regebat,
Et ſtudio doctis artibus aptus erat.
Protexit patriam ſæpé horrida bella gerendo,
Proq; Dei populo mille pericla tulit.
Talis erat magnus Germani Carolus orbis
Gloria, & Imperij prima Corona noui.
Cui debet uictrix proprias Germania laudes,
Imperijq; decus, ſaluificamq; fidem.
Cætera contracto non ſcribi carmine poſſunt,
Contulerit patriæ quæ decora ille ſuæ.
Quæ mutata modo quantum ſint tempore ab illo,
Vix me: Sed quare uulnera noſtra fricem?
Huc aliquis celebres annalibus adfer Othonas,
Atq; alios, quorum nomina laude uigent.

Quos pietas, graue Martis opus, Doctrinaq; fecit,
Et patriæ, claros, non reticendus amor.
Talis eras nuper ne longè exempla petantur,
Qui patris, & patrui nomina clara refers.
Inclyta Saxoniæ dum ſaluus regna teneres,
O meritis princeps non habiture parem.
Te duce relligio eſt ſeductо reddita Mundo
Purior, eſt Muſis reddita uita bonis.
Quæ prius obductæ multo ſqualore iacebant,
Te duce cœperunt luce nitere noua.
Libertas patriæ, Germanæ gloria gentis
Non eſt, incolumi te duce, paſſa nefas.
Nunc quoq; te uera Chriſtum pietate fateri
Exutum regnis publica fama canit.
Da ueniam, quiſquis legis hæc de principe tanto,
Hoſtibus ipſe ſuis dicitur, Orbis amor.
Cuius ob inſignes Virtutes fama uigebit
Semper, & immenſus fine carebit honos.
Adde quod æternæ iam certus præmia Vitæ
Nobilitatis habet non peritura ſuæ.
Hæc mihi ſollicita ſcribenti carmina mente,
Carmina uix tanto Principe digna ſatis
Ecce uolat pauidas gratiſſima fama ſub aureis,
Optato multis omine ſparſa plagis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895577208/phys_0044

Quod decore, & terris, & libertate recepta
Sit ſaluus Patriæ redditus ille ſuæ.
Dij quales plauſus? quæ paſſim iubila cœlo
Fundit ad immenſum Teutona turba Deum?
Ob reducem patriæ, poſt aſpera fata, parentem,
Exule quo fuit hæc ceu uiduata Duce.
Cum quo Germanæ redierunt propria genti
Dona, fides, Virtus, gloria, terror, honos.
Me quoq; gratanti communia gaudia uerſu,
Condere uicturum forte iuuaret opus.
Hæc niſi Stigelio laus deberetur, honoſq;,
Principis ut docto carmine fata canat.
Cuius & aura pios iam cernet libera faſtos,
Quos dudum preſſæ texerat umbra ſpecus.
Quando ſuum Patriæ lumenq; decuſq; reuerſum eſt,
Iam poterit Muſis uita redire pijs.
Cumq; oculo patriæ poſt nubila tetra reducto
Iam ſua lux ſtudijs priſtina forſan erit.
Sed me quo præceps animi ſimul impetus aufert,
Principis ut ſemel eſt mentio facta pij?
Illius hunc Virtus potuit meruiſſe fauorem,
Qua duce perpetua nomina laudis habet.
Hunc propè te meritò Princeps ALBERTE locarim,
Qui benè prænomen mite IOANNIS habes.

Cui cum sic radiet reuerendi gratia uultus,
Vbera tres ΧΑΡΙΤΕΣ casta dedisse liquet
Nota tui est cunctis immensi gentibus orbis
Doctrinæ pietas, Ingenijq; fides.
Et patriæ memorandus amor, pro qua pia nuper
Vindicis indueras fortiter arma Ducis.
Vt quondam asseruit patrias Thrasybulus Athenas
Electis Ducibus Sparta superba tuis.
Quid quod & armorum media inter prælia nunq̃
Dux instaurandæ definis esse Scholæ.
Vnde tibi ueniant aliquot post tempora, sanctum
Rité quibus mandes Relligionis opus.
Hoc ueré est cœliq; plagis superisq; uacare,
Principis est uirtus summa iuuare Scholas.
Heros macte animo, nostri inclyta gloria Sécli,
Post quem non alius clarior ullus erit.
Vrge pios ausus, cœptis fortuna fauebit,
Vrge uenit lætæ iam tibi messis honos
Vita modó superet, tua Dux generosè replebit
Gloria Virtutis solis utramq; domum:
Et cum sub pedibus nubes, stellasq; uidebis,
Nominis in terris fama superstes erit.
Sic petitur cœlum, sic Nobilitatis ad arcem
Tenditur, his constat gloria uera bonis.
Diximus en paucis, sed diximus omnia ueré,
Quæ sint nobilibus perficienda Viris.

Maiorum possint ut nomina tanta tueri,
Quanta sonant tituli, signaq; quanta sonant.
Quod si quæ poterunt addi, comprensa sub istis
Esse puta, quæ sunt enumerata modo.
Nunc quia non nimium prolixis esse libebat,
Sufficiat breuitas omnibus ista bonis.
Quod superest oro nunc te Germana Iuuentus
O decus, ô patriæ uiuida fama tuæ
Per patrios nobis ut sunt communiter ortus,
Per decus, & titulos, spemq;, fidemq; tuam.
Si qua fides, si spes, si quod Virtutis auitæ
Nunc superest, precete supplice quæso, decus,
Rebus ut his animum tantis paciare moueri,
Quodq; audis uere Nobilis esse uelis:
Sit curæ pietas, sit cordi Ecclesia Christi,
Erigit hæc titulis digna trophæa nouis.
Vtq; uelis cultas didicisse fideliter artes,
Vnde uenit patriæ non moriturus honos.
Præmia te moueant reducis post funera Vitæ,
Gloria sola pares efficit ista Deo.
Sponte sequentur opes, & nomina clara sequentur,
Et tituli, & si quod restat in orbe, Decus.

TELOS.

Synceriter, citra pompam, zelo Virtutis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895577208/phys_0049

Pro Concilio Tridentino Puerilis Christianæ Precatio M. Petro Vincentio Vratisl. Autore.

Summe Deus, quem terra suum, quem Pontus & Aër
Autorem agnoscit, quem Vasti plurima Munsi
Turba patrem ueris celebratum laudibus effert,
Vnigeni propter sanctissima munera Nati,
Quo mediante sumus culpa poenisq; redempti
Et miserum & mortale genus, Cum sanguine fuso
Sustulit ille suo sceleris uestigia nostri,
Quo donante sacer nostræ penetralia mentis
Spiritus intus alit, superaq; effusus ab arce
Pectora solatur uetitæ male conscia culpæ,
Expectare monens speratæ libera uitæ
Gaudia, & æternæ plenissima dona salutis.
Vnice, uiue Deus, qui te bonitate paterna
Commendas hominum generi, gaudesq; uocari
Nostri per CHRISTVM cœtus pater, autor, amator,
En pueri sumus hic, amissq; amissi teneßi
Fœdati ab prolis, ueterisq; propagine culpæ
Sed tua turba tamen, quibus & commertia Coeli

Annuis, & parto quos non excludis honore
Regni CHRISTE tui: humanos miserate labores
O DEVS, exaudi & propius pater optime nostras
Aspice res, parui nec Coetus sperne querelas.
Cum suus immineat perituro terminus orbi
Terrarum, uastoq; fere iam pondere nutet
Præcipitis Mundi fatalis & improba moles,
Sicut ab antiquo reuolutis ordine Sechis
Venturum sacri quondam cecinere Prophetæ
Cernis ut insurgat rabies immensa, furorq;,
Væsanus Stygia regnantis sede Tyranni,
Qui Coelum Terræ ut commisceat, imaq; summis,
Subijciatq; suis spacioſum legibus orbem
Euerſo, tibi quem iunxisti fœdere Gnati
Æterno, & uerbo quem colligis undiq; coetu,
Immotum nil plane intentatumq; reliquit,
Humus aut interitum quod non rapiatq; ferataq;
Mille modis sacero CHRISTI insultatus ouili.
Iuarum uerò est hæc causa potissima, quod te
Doctrinamq; tuam, coelo quam filius alto
Saluator Mundi patefactam é sede parentis
Detulit arcana, per templa Scholasq; sonamus,

Cumq; Thoma CHRISTVM dominumq; Deumq; fatemur.
Huic aduersatur doctrinæ, quicquid ubiq; est
In mundo sublime, furit gens impia & ardet
Multiplici totum rabie grassata per orbem,
In parteis quæ Roma tuas iurata, tuetur
Ausonij fraudes & dogmata falsa Tyranni.
Et iam parturiat quam formidabile Monstrum
Tendens Alpinos foetissima rursus in agros
Turba Sophistarum, quos undiq; diua Tridentū
Conuocat Alecto, Super ardua moenia Roma
Tartaream intendens uocem, scis optime IESV,
Cumq; scias, quare pateris tam tempore longo
Harpyias sacri foedantes dogmata uerbi,
Turpe genus uoluerum glomerari, atq; agmine denso
Confluere, & coeno sic conspurcare nefando
Doctrinæ liquidos fonteis, quos inficere atro
Sine uenere audent, seu prorsus tollere, flammis
Et rabida tantum pugnaces fraude Sophistæ.
Has trahit in parteis secum Romana Celeno
Germanosq; duces aliquos, nomenq; uerendum
Cæsaris inuicti, cui patria semper amica,
Fidaq; successus cui soepe Ecclesia sanctis

Optauit uotis impetrauitq; secundos.
Scilicet ut, nequeunt quoꝝ fraude dolisq; Stolati
Pontifices, unctoq; in uertice tonsa caterua
Nec sic sana tamen: tua mitis dextera Cæsar
Auceat, & bellis inuoluat tristibus urbes,
Ac terras Verbum nuper Cœleste secutas,
Sicq; ipsi cœles faciant ciuilibus armis
In sua grassantes immaniter exta Monarche.
Hoc Væsana furit Rasorum turba, stultetq;
Tristibus ut passim commotis undiq; bellis
Per fas atq; nefas, terrarum fluctuet orbis,
Sorbeat & proprium tellus Germana cruorem
Nomen CHRISTE tuum studioq; fideq; professa.
Hinc in Teutonicis soeuit Mars impius aruis
Non tantum cultus interturbator honesti,
Sed quoq; Doctrinæ, qua pectora nostra necesse est
Ex tenebris & atra ueteris caligine lapsus,
In clara rursum & tranquilla luce locari,
Nunc Euangelij radijs quæ fulget obortis.
At tua præsidio pater haud munita, nec armis
Imbecilla cohors, nec militè cincta, nec ullo
Nititur auxilio, nisi quod tua dextera fortis
Præstiterit, patrio tantillem commota fauore,
Cui, tu quando iubes soli confidere nostras

In tenebris positas & rerum turbine mentes,
Et potes & solus uis auxiliator haberi
Contra Acheruntei conamina dira Draconis:
Prorsus in hoc tristi & dubio discrimine rerum
Quo tua concutitur tantis Ecclesia dammis,
Idq; agitur magno sine fine & ubiq; tumultu
Vt stuchia, atq; artes intermoriantur honestæ,
Et lux Doctrinæ iaceat deleta salubris,
Ad tē confugimus grex, o pater alme, pusillus,
Teq; perungemi dulcissima uiscera nati,
Per foedus commune, suo quod sanguine Christus
Sanciuit, ueris uotis lachrymisq; precamur,
Auxiliatricem nobis pater optime dextram
Porrige, & imbellem uindex iustissime coetum
Protege, quem patrio semel es complexus amore,
Dilecti toseo placatus sanguine nati,
Incrementa tui largire salubria Verbi
Elis terris, quæ te uere pietatis colendo
Cultibus, & placito semp uenerantur honore.
Palladias serua nostris in Coetibus artes,
Linguarumq; trium decus admirabile, per quas
In uarias placuit tibi conditor optime gentes
Saluificum CHRISTI late diffundere nomen.

Demqz compressis Sathanæ furialibus ausis
Consilia illustres flectte ad meliora monarchas
Atqz optata diu nostris reddte ocia Seclis.
Sic te sic toto patrŏ celebrabimus orbe
Pro meritis gratæ præstantes munera linguæ,
Sic tibi perpetuas concordi pectore laudes
Per templa atqz Scholas Ecclesia sancta sonabit
Cum nato, & pariter sancto cum flamine, soli
Cui domino sit honor, sit laus, sit gloria uero.

Amen.

I Manuscript. fol. 2. — fol 16 mit gemal. Wappen. 1. —

II fol. 14. — Manuscript. fol. 3. —

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895577208/phys_0063

STVRI
Omn
Et, uelut h
Cum
Sic quoties
Eloq
Præcipuè, c
Pega
Itala mirat
Tant
Arte labo
Mira
Hac mulce
Trin
STIGEL
Com
De quo si p
Null
Huic uiuos
Nat
tor græcus pariterq; Latinus
n qui tulit ingenio
us niue liquitur humor
remunt uellera Solis Equi
eresoluit habenas
umina larga sui.
liger usq;, SABINVM,
summa sub astra Poli
ratur Apollo,
Elegis huius ubiq; Venus.
curaq; politi
limpiditate fluunt.
oties uult carmine diuas
nerus abluit ipsa manus.
scuti galeæq; decorum
ti nomen Equestre dedit.
uod sentio, fuco
e remorante, loqui.
r palma poetas
le grauitate pij.
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 038
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
UB Rostock 05/1500
the scale towards document
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895577208/phys_0065